



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

18 Quas proprietates habeat relatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

SECTIO VIII.

Quenam proprietates communes sint omnibus relatiuis.

DE hac re nihil Aristoteles dicit in Meta physica, in Dialectica vero nonnullas posuit relatiuorum proprietates, quas breuiter exponere oportet, quāquam earum aliquæ iam explicatæ sint. Possemus autem sermonem extendere ad communia entis attributa, præfertim vnum & bonum, nam peculiarem habet difficultatem in modo quo relationibus conueniunt. Sed de vnitatem iam satis multa dicta sunt. Circa bonitatem vero occurubat illa quaestio, an relatio dicat perfectionem, quam supra tractauimus disp. 10 & ostendimus ita dicere perfectionem, sicut habet entitatem. Vnde si est res distincta à fundamento, vel etiam modus realis ex natura rei distinctus, necesse est ut perfectionem aliquam realem illi addat, si vero nihil rei addit, sed sola ratione distinguitur, perfectionem quidem realem dicit, non tamen in re distinctam: & consequenter, simpliciter loquendo, non addet perfectionem suo fundamento, sed dicit eandem sub diuersa ratione. Cetera in dicto loco satis tractata sunt.

An relatio contrarium habeat.

DEueniendo ergo ad proprietates relatiuorum à Philosopho assignatas. Prima est, quod relatio habeat contrarium, nam virtus vitio contraria est. Sed hæc non assignatur ab Ar. ex propria sententia, sed tanquam consequens ex prima definitione relatiuorum, quæ omnia relatiua secundum dici cōplectebatur. Potius ergo contrarium numerari potest inter proprietates relationis, quod illi, quatenus talis est, nihil est contrarium, vt idem Philosophus dixerat in c. de qualitate. Sed habet relatio suum proprium oppositionis genus, quod iam explicatum est.

An relatio magis aut minus suscipiat.

SEcunda proprietas est, quod relatio suscipiat magis & minus: quam dicit Aristot. conuenire quibusdam relationibus non omnibus, nam duplum non est magis & minus duplum, simile autem vel æquale dicitur magis & minus. Sed est aduertendum, aliter tribui hanc proprietatem relationi, quam qualitati: huic enim conuenit, quia vere est intensibilis & remissibilis, vt præc. disp. tractatum est. Relatio vero non est ita intensibilis, quia nec per se, cum per se non fiat, nec augeatur, nec ratione fundamenti, nam licet fundamentum intendatur, non necesse est intendi relationem: non sunt enim magis similia duo alba intensa vt octo, quàm antea cum erant vt quatuor: è contrario vero interdum sunt magis similia per remissionem fundamenti, aut termini, aliquando verò minuitur similitudo.

Hoc vero magis aut minus in relationibus non est propter intensionem earum, sed propter variationem, vt bene notauit Fonseca lib. 5. Met. c. 15. q. 5. sect. 2. Relatio enim æqualitatis, v. g. propriè dictæ (& idè est de perfecta similitudine) non suscipit magis & minus, quia in indiuisibili consistit, nam si ex duobus æqualibus alterum crescat, non sunt minus æqualia, sed perit æqualitas: in æqualitas vero esse potest maior & minor, propter maiorem & minorem recessum à perfecta æqualitate: & eodem modo æqualitas vel similitudo late & vulgari modo dicta dicitur maior & minor: tamen illæ relationes maioris vel minoris in æqualitatis, re vera sunt diuersæ, & non eadem, quæ augeatur vel minuat, quia termini & fundamenta earum sunt diuersa, & proportionales in quibus consistunt, sunt etiam diuersæ, atque ita vna quæque in suo gradu in æqualitatis in indiuisibili

consistit. Sic ergo dicuntur quædam relatiua suscipere magis & minus, id est, denominari magis & minus talia per accessum, vel recessum ab vno perfecto termino, non per intensionem aut remissionem.

Quomodo relatiua ad conuertentiam dicantur.

Tertia proprietas est, quod relatiua dicuntur ad conuertentiam: quam aliqui ita exponunt, vt idem sit quod mutuo referri, seu quod vni relationi semper respondeat alia. Sed, vt constat ex dictis, in hoc sensu non conueniet hæc proprietas omnibus relationibus, nisi extēdatur ad relationem rationis. Vnde non est hic sensus Arist. sed solum quod secundum aliquam denominationem vnum denominetur cum adiunctione alterius, & è conuerso, vt scientia dicitur scibilis scientia, & scibile dicitur scientia scibile: & ideo ait Arist. hanc conuenientiam interdum in eodem, interdum in diuerso casu fieri. Vnde hæc proprietas magis pertinet ad modum loquendi de relationibus, quam ad rem, quamquam ille modus loquendi in re habeat fundamentum. Non est autem hæc proprietas peculiaris relationum prædicamentaliū, nam etiam conuenit relatiuis transcendentibus, imo & relatiuis rationis.

Quarta proprietas est, quod relatiua sunt simul natura. Quinta quod sint simul cognitione & definitione, quæ iam sunt à nobis expositæ. & ideo de præfenti disp. hæc sufficiant.

DISPUTATIO XLVIII.

De Actione.

SEX vltimis generibus accidentium perpauca docuit Arist. tam in Dialectica, quam in Metaphysica: sola enim eorum numeratione contentus fuit. Imo in 5. Met. c. 7. ita ea numerat, vt habitum & utrum omittat: vbi Com. com. 14. ait: Tacuit prædicamenta situs & habitus, propter abbreviationem sermonis, vel quia latent. De aliis vero quatuor multa sumi possunt ex Arist. in libris Physicorum: nam de actione & passione agit in tertio, de tempore & loco in quarto. Hic vero à nobis tractanda sunt latius & abstrahius, prout ratio Metaphysica postulat. Et quamuis de his prædicamentis generatim tractari soleat, an sint absolutum quid, vel respectiuum, aut mixtum ex utroque, & an sint res vel modi distincti à reliquis, tamē hæc melius explicabuntur in singulis horum prædicamentorum, quia existimamus nullam esse realem rationem communem his omnibus prædicamentis & illis solis de qua possint illæ communes quaestiones tractari: est autem res valde confusa & operosa: de rebus distinctis vt distincte sunt aliquid communiter disputare propter hanc solam extrinsecam denominationem, qua hæc genera dicta sunt sex vltima prædicamenta.

Igitur de actione, quam semper Arist. primo loco numerat inter hæc, multa dicta sunt à nobis in superioribus cum de causa efficiente ageremus. Nam cum actio sit causalitas causæ efficientis, vt ibi diximus necessarium fuit de actione dicere quidquid ad intelligendam causalitatem illius causæ fuit necessariū. Sumendum ergo hic est ex ibi dictis actionem esse aliquid in rerum natura, contentum in latitudine entis, & ex natura rei distinctum à re quæ per illam fit: quæ cum ibi sint satis probata: hic repetere non esse necesse, quamquam necessarium sæpe erit hæc iterum atque iterum inculcare. Ex his etiam supponimus vt certum, actionem esse quid distinctum à cæteris prædicamentis, præterquam à passione, de qua & de distinctione inter illas dicemus disputatio ne sequent. & à quādo: de quo est peculiaris difficultas communis omnibus prædicamentis, quomodo distinguatur ab illis, quam in suum locum reseruamus.

Cur de actione ante alia sermo sit.

Actio vni entis genus.